LIBURNIS VOTORVM

aspirantibus Cælitum Austris,
in Florentissima Vniversitate Cracoviensi,
Fortunatum Portum Capessens. ad quem,

CLARISSIMVS & EXCELLENTISSIMVS DOMINVS
M. MARTINVS ROGOZOWIC.
Philosophiæ Doctor & Professor.

CLARISSIMVS & EXCELLENTISSIMVS DOMINVS
M. THOMAS ORMINSKI,
Philophiæ Doctor Matheseôs Professor,
Medicinæ Licentiati; Felices constitêre.

DUM PER

CLARISSIMVM & EXCELLENTISSIMVM DOMINVM
M. STANISLAVM WOSINSKI
Philosophiæ & Medicinæ Doctorē, in Alma Vniversitate Crac: Professorē, Consulē Cracoviensē, ac interea Facultatis Medicæ Procancellarium Dignissimum, in Illustri Numerosissimi Hospitis corona

Medicinæ Doctores

RITU SOLENNI RENVNTIARENTVR

IN

Documentum verò Fraterni affectûs

A

M. IOANNE FELICIANO ŁVKASZKIEWICZ, Crac:
Philos: Doct: & Profes: Gratulatorio Laconici Styli celeusmate:

HONORATA.

Anno Salutis, 1692. Mense Aprili, Die 19.

CRACOVIÆ, Typis Nicolai Alexandri Schedel, S. R. M. Ord: Typ.

LIBVRNIS VOTORVM.

SPebus onusti, Votorumq; pleni Mnestei,
remis sulcare vitrea freta edocti;
etsi ductoritiam Parrhasis comitentur Vrsam,
haud semper exoptatum attingunt scopum,
quin Scyllæis non agitentur scopulis.
Frequenter insigni divite venâ adnavigare nituntur Chersoneso,
verùm sæpius ad scopulosum Maleæ deflectunt Promontorium.
Immensum transfretaturi æquor,
raro sine iratis irritatisq; Pelagi numinibus emetiuntur.
Multis navigantibus Danais, in Rupe Euboica,
prælucet coruscum & exitiale iubar,
securi portûs monstrans viam;
sed illuc cum appulerint, etiam cum vitæ cetascopiis naufragantur.
Nempè vix aliquando remigium sine vicino naufragio.
Tridente potentis Neptuni Regna,
Monstra nerei, Symplegadas, & Acroceraunia,
fluenti refluentiq; cùm detegant lymphâ;
non unum palinurum exanimant, moriq; spellacerâ cogunt.
Hem quid certum in aquis Oceani!
in Lubrico hoc Elemento quid solidum?
Vbi & ipse furibundus Æolus, acrioribus debacchatur procellis,
Volantemq; faventibus Etesiis Cymbam;
moto turbine mari ac tumente fluctu,
facilè demergit & præcipitat.
Vitreum Fortunæ transfretantibus salum,
persæpè hæc pericula eveniunt;
quæ & navigantibus, inter Balænas Syrtesq; Marinas contingũt.
Mare

Mare hoc alternis Vicibus reciprocum,
quo nihil vastius, naufragioq; propius nihil.
Marpesiis adversæ sortis refertum est cautibus,
quas, Volente Fortunâ, nec cautissimi evitant Segesti:
Eundum hîc per multa obstantia, confragosa, Eurippeosq; recessus,
nec vastissimæ calamitatis, Tauromitanæ permeande Insulæ.
Pernices cursu Votorum Celoces
sistit hæc infesta Echeneis,
& ne fortunatis in Littore redimiantur eventibus;
Hyænam agit, ac multorum corda sauciat,
dum non satiat desideria.
Crudelis hæc Tyrannis non Dea est,
humanum Genus, iugi rotæ suæ Vertigine torquens:
Haud magis sævire potest in animos Mortalium,
constans in ipsa inconstantia Fortuna;
quam dum illorum Vota, improspero rotæ suæ voluit
circumagitq; gyro.
Votis quippe reluctantem agnoscere Fortunam,
ingens doloris Magnitudo, ac cruciatus.
Hoc intollerabile Mentium tormentum, cordium torcular,
Marasmo, tabeq; præmissâ,
Vitæ ultimam medullam exprimens;
quam nec Vivificans restaurabit elixir, nec Æsculapij panchrestũ.
Elusi quandoquidem, ac de albo Fortunæ elisi conatus,
hominem non Vivere, sed vivum sepelire faciunt;
Manibusq; pallidis æquant.
Sic tessellata fortuna mala bonis interpolat,
Vota quoq; frequenter cum vita succidit.
Insignes eruditione solidâ, æquè rara Virtute ac
sapientiâ conspicui,
eximijs animi dotibus illustres,
omni Maiores elogio, omni sublimiores dicendi Genere
Dignissimi, ac Emeritissimi Medicinæ Licentiati;

CLARISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. M. MARTINE ROGOZOWIC,

&

D. M. THOMA FRANCISCE O R M I N S K I.

Philosophiæ DOCTORES & PROFESSORES
Doctoralem Coronam Medicam prensantes.
Etiam Liburnis Votorum Vestrorum, Fortunæ Tyrrhenum ingressa,
adversis agitabatur Aquilonibus, ac infelici Iapijge.
Devia evitare Vada nequivit,
nec Ventis secundis ac constantibus, ad Vrbē Anthenoriam progredi potuit.
Ocyùs currentem, iamq; optato propinquam littori,
dira dominantis fati inclementia impedivit.

obgrassante Carniolæ Pestilentiam, passusq; Ponteuæ præclusos, peruenire Patavium nōn potuerunt

Ponteuæ tanquam informidoloso Ponto, terminalem incidistis in pontem,
non sine metu infelicem attigistis metam,
cor Vestrum gravi feriente dolore.
Tot prætergressi ancillante fortunâ Viarum incommoda,
iterum novercantem agnouistis, eandemq; non Typhim
sed Acesseum experti.
Ferente testimonium erudito Apuleio
qui pontibus loca aliqua transire nequibant, pontonibus transibant.
Vos præfixum ad quem collimabatis locum,
nec vado, nec pontonibus trāsijstis;
Vt Patavina Daphnis, hæc Vestra docta tempora, Virenti lauru redimiret,
quæ à gemmea sudorum corona,
in stadio Academico prius iam redimita erant.
O Laurea Machaonia! tanta Te decuit quari per damna Viarum?
Tantosne peranfractus; Mæandricosq; recessus,
itur in Laurearum Hæmum
Tantum ne per mille pericla, totidemq; discrimina rerum
tenditur in Latium.
Rem non ænigma exaras calame:
nudamq; ac Vela Timantis perosam,
annotas veritatem.
Præsaga ac Monitrix futurorum Carmenta Academica,
Vobis eruditis Evandris, non absq; arcano,
illud agrediendum dissuadebat iter.
Vos nihilominus vt Decora Doctrinæ vestræ quam Vobis

pleno

pleno ac vbere Lacæna Academica propinavit vbere,
Exteris quoq; visenda prodirent,
totumq; cederet Altrici huic elogium; extra Patriam.
Attamen candidus Fortunæ calculus, Vestris aliter cum cesserit Votis;
Omnibus anteponenda Nicostratis, Mater Filiorum Optima
Augustissima D. Iagellonis Pallas
irrita vestra desideria; gravi ferens cordolio,
iterum vos materno ac delicato sinu excepit;
ac in Solatium vestri, non capita solummodò, sed & corda,
his eruditis Laureis redimire gestit.
Ergò iam ciente toto Cætu Academico modulamina, ac celeusmata
Liburnis Votorum Vestrorum in Desiderato Portu constituta
Doctorales capessat Laureas.
Obviam progredimini tanto honori,
pleniq; Votorum, coronas has felices prensate.
Hæ siquidem coronæ, Vobis æternùm Victuram famam pollicentur
vel ipsa sui peripheriâ.
Verùm has binas ac collactaneas Sorores, Virtutẽ ac eruditionem,
pulchro sociatas fœdere serò allapsura ætas,
in Vobis colat ac Veneretur;
has nulli cessuras elogio, immensas gloriæ, exiguæ date pagellæ.
Principem merentur Panegyrim, innumeræ Virtutes Tuæ,
qui principem quoq; tenes locum,
CLARISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE,
M. MARTINE ROGOZOWIC,
Philosophiæ Doctor & Professor, Medicinæ Licentiate.
Tuas inter coruscas Virtutes, ac eximias præcellentis animi dotes,
fulget Magnis innutrita splendoribus Sapientia,
velut inter Stellas Luna minores.
Pretiosa hæc Virtutum, ac Sapientiæ Cimelia,
sub Modestiæ Tuæ, sic latent cortina;
vt in profundo, conchæ nemini notæ, sed omnibus pretiosæ Margarethæ.
Modestia Tua, ac minima de Te ipso æstimatio,
Vectigalem sibi texunt Panegyrim.
Virtute ac eruditione Tuâ Multos anteire, & Vincere videris,
hanc tamen Monomachiam, quam ex multis referre posses,

Tua Modestia temperavit
Honorem hunc sine ambitu quæsiisti, cum Tibi ad Augem illius;
vel sola merita suffecerint.
In hac humilitatis Tuæ Vmbria, lucidius fvlget honoris Tui claritudo.
Sufficiebat porro Scipioni, sine triumpho, & plausu Orbis,
nominis magnitudo.
Camillo inter Orbis Angenoralia, Rupes Tarpeia.
Ita sufficit Virtuti Tuæ, ipsa Meritorum maiestas,
quam etsi ipse tacere velis, buccinatrix Fama;
eandem non desinet, in immensum mille crepare tubis.
Nobilem veræ Sapientiæ succum, non aliunde quam ex pura
institutione suxisti Iagellonica, legitimus ac Verus Filius.
In tractandis Studiis, perdius ac pernox Cleanthes,
sedulitate Tuâ diligentissimum superabas Theopompum.
Nec immeritò sedulitati Tuæ ac irrequieto labori,
dextro Apolline, Geminæ Philosophicæ Laurus succesŝere.
Dedisti caput Tuum his coronis, re non titulo Stagyrita,
maluistiq; esse, quàm vocari Philosophus.
Associatus Inclyto Philosophorum ordini,
Stagyriticum Hippodromum, indefessus decurrebas stadiodromus.
Inter severiores argumentantium Porticus,
inextricabiles difficultatum enodando scirpos,
non superciliosum Catonem, sed placidum & tractabilem egisti Pythagoram.
Laboriosissimum Te in statione hac, quis neget esse Olympionicen,
qui subeundas ab alijs proprias spartas,
ipse quâlibet die subivisti, nec horas computans, nec tædia.
Cedit in gloriæ Tuæ theatrum, Novodvorscianus Helicon,
in quo, labore Tuo, ceu ferratâ Pegasi vngulâ,
dulcem elicuisti Hippocrenem, quem mellitissimum institutionis Tuæ dulcorē,
plenâ amystide, castæ Musarum propinasti cohorti.
Ad Vernantem hunc Parnassum.
pertinuit pulchra morum Tuorum temperies.
Pertinuit & dulcisona Stemmatica Tua Chelis
cuius dulci fidium concentu, vel ipse Cytharædus Apollo recrearetur.
Vix aliquando Camenæ illæ, magis amœnæ & lætiores fuêre,
quam Te docente; vt potè deficiente Phæbi cytharâ,
Tua chelis dulce illis canebat Melos.

Sic no-

Sic Novodvorsciani stadij scholasticum pulverem terendo,
prisci moris fidum, ac intaminatum servâsti laborem.
Gloriosè exactò aliquot annorum spatiò, in informanda Lechica Prole,
etsi iam antea totus in coronam Stagyræ,
totus abiveris in Tùllium;
(præeunte Tibi ad hæc omnia Phænice Sapientum Mazurkovio)
ampliori tamen scientiâ satiari cupiens, Totum Te Æsculapio,
Totum Agrigentino Acroni dedisti.
Felici ingenio, summo iudicio, voluendo, ac revoluendo Paracelsi volumina,
investigabiles naturæ Vias, abstrusam affectarum partium,
cognitionem rimabaris,
Occultas Morborum causas quærebas.
Adversa simptomata scrutabaris
Solâ ne phlebotomiâ, an diureticis, vel alijs pharmacis,
plethoricis, cachecticis epidemicis corporibus, mederi possis:
monumenta Authorum consulendo, diiudicabas.
Mirâ mentis Tuæ capacitate, anteiuisti docentium nutùs,
totusq; tibi ante Lauream, desiisti in coronam Medicam, & elogium.
Omnia hæc digna coronis & gratijs, in Te cum invenisset;
Gratiarum omnium Compendium, & ipso Nomine Charis,
ex antiquo Tibi Faventissimus,

PERILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDVS DOMINVS,

D. IOANNES ŁVCZKIEWIC

Sac: Theolo: & I. V. Doctor, Ecclesiarum Collegiatarum, Kielcensis Canonicus, Custos Sarbimiriensis, Præpositus Radłoviensis &c. &c.
Contubernij Sisiniani Restaurator munificentissimus,
Maximus hic eruditæ Virtutis Tuæ Æstimator
ostendit pretium Tui & omne elogium.
Illi fama perenne tributum debet, æternoq; censu redit ura elogia.
Gentilitia ipsius Rosa, Pæstanis, Hymettiq; suavior floralibus,
non tantùm spirat odorem solidæ sapientiæ,
fragrantiam Virtutum, verùm quoq; in vsus Mortalium,
liberalitate pulchriùs explicatâ, non Vnum accurrere cogit,
in sui odorem; nempè in dulce obsequium.

Ergò iam
Doctor Dignissime,
deliciare sub tanto gratiarum pondere, ac in hoc amœno gratiarum Tybure,
fortunatus & longævus triumpha.
Tuam quoq; Virtutum ac Meritorum Panegyrim, devinctus non fugit calamus,
& obligata penna in Tui honorem advolat,
Solennissimi Actûs hodierni Coronis, & decora Corona,
CLARIRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE
D. M. THOMA FRANCISCE ORMINSKI,
Philosophiæ Doctor & Professor, Medicinæ Licentiate.
Fatiscit sub onere Laudum Tuarum inops Verborum Stylus,
& capiendo ingenti meritorum Sillabo impar est.
Virtutes Tuæ, elogiorum termino carent.
Solida eruditio expers omnigenæ periodi,
nullis angustæ eloquentiæ arctatur limitibus.
Non vulgarem ingenii Tui excellentiam, ita sequitur census gloriæ;
vt corpus vmbra, vel Heliotropium lucidissimum Mundi Planetam.
Ad eam crevisti proceritatem gloriæ;
ut quisquis millenas Tuis meritis addensaverit panegyres, tyrocinia tractabit:
Dignè & sufficienter de Te scribere, Tuo non nisi erudito calamo:
quo non vni Gratulatorium, non vni funereum scripsisti Epos.
In Te videre licet; non sine voluptate animi,
teretes ruentem ore gemmas Demosthenem.
In Te superstitem Theonem Philosophum simul & Astrologum.
Mortuus aliis Podalyrius, nobis in Te vivacissimus.
Tibi adhuc iuveni, aderat illa; quæ prætextam fugit prudentia,
senili invento ingenio, quod illis haud conveniebat annis.
Excolendam & Artis firmandam præsidiis,
Tuam Indolem, dedisti Minervæ, quam cum capacissimam
omnium scientiarum advertisset;
eandem post diutinam sedulitatem & laborem, non sine corona,
non absq; Laureis Philosophicis dimisit.
Te ad magna & seria natum politiori Literaturâ conspicuum,
Satraparum Regni, erudiendis pignoribus applicuit.
Avita TARŁONVM Ascia, longo Patriæ splendescens ab vsu,
O: quam

O: quam toties eruditam Palladem Tuo docto è Capite eduxit.
In Tuo namq; Capite, triumphans Sapientia,
inæstimabiles doctrinæ locavit thesauros;
quibus per probam ac fidam institutionem ditarentur dotarenturq; ingenia.
Corculum, & delicium Phæbi es, & acutissimi genius ingenii.
Suavem Tuam suadam, nulli Molestiam diuturnioris tædii inferentem,
profundo meo Stylo Veneror:
quam fundẽte aureo ore Tuo, & dies integra, exiguũ videtur esse momentum.
Nunquàm enim perorare videris meliùs,
quam dum peroras diutissimè.
Habuit Te suum Oratorem Sol Aquinaticus,
Angelicus Doctor Divinissimus THOMAS,
cuius Gentilitio Eridano, perbellè encomiasticam affudisti Castalim.
Profundè de Sancto THOMA dixisti, nec mirùm;
cum ipso nomine THOMAS Abyssus sis.
Benè quia THOMAS, Quem perorare optimè, extra paradoxum.
Fabulam somniantis Parnassi de Gallicano Hercule
vertisti in certum soriten,
Qui animos omnium ita tenes, vt se omnes à Te sciant vinciri,
nemo dißentiat, ille tantùm, cui eloquii Tui dignitas incomperta.
Divinam quoq; iunxisti eloquentiæ Vraniam, quæ Tuum pectus
augustis suis cum Orbibus occupavit;
Ab eius irrequieto astrorum cursu,
didicisti indefessam circumagere Virtutem.
Hanc Cælestium indagatricem,
pulchro cum iungas foedere Meditrinæ, non peccas:
Quandoquidem vel teste insigni Theologo Augustino;
Medici, Astrologiæ ignari, si exerceant Medicinam;
peccant mortaliter.
Et Quis futuram felicitatem Tibi non ominabitur.
in sublevandis infirmis, ex acutis chronicisq; simptomatibus?
Quis securum per mare Medicum, non augurabitur Tibi remigium?
cum duo hæc lucida præeant Tibi luminaria.
Ipsa naturæ Tuæ commendatio, planè nata Galenoet Hippocrati
ad ægritudinis lenimen delecta.
Placuêre hæc in Te omnia eruditi animi Decora,
ILLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. MARCO BEMBO
SENATORI VENETO
 æter-

æterna colendo Memoriâ,
Doctissimus ille Senator, Curius pariterq; Camillus,
eruditionem Tuam singularem honestis conditam salibus,
amabat stupebat & æstimabat,
Nullam Ponteuæ horam præterire volebat,
sine Tui amœnissima præsentia.
Prudens ille Argus Centoculus, vidit obseruauitq;,
non solùm Gentem Ausoniam, verùm & Sarmatas
inter ingeniorum delicias nasci.
Et hæc sunt impari adumbrata calamo
Virtutum vestrarum elogia,
Liburnis vestra in fortunato constituta littore,
tantis onusta elogiis ac plausibus, transiit in Onerariam.
Vobis meliore Fortunâ donatis, Eruditus Cætus Academicus,
dat plausus, dat Triumphos. Cuncti occinunt celeusmata.
Ego verò anteacti doloris vestri socius,
idem lætioris Actûs Spectator,
Nomini ac Honori Vestro hæc Vota fero:
Periclitanti ægrotantium lembo;
consiliorum Vestrorum succurrite remis.
Naufraganti in vitæ discrimine, Generi Mortalium,
diuturnæ ac felices lucete Cynosuræ.
Aduersa Morborum Phænomena,
vestris curate alexipharmacis.
Et quanquam Liburnis Vestra iam terminali adnavigauit Portui,
Vobis nihilominus, fauente Cælo, famulante Fortuna,
Portus hic nòn meta honorum,
Sed altiorum Dignitatum fiat ianua & ascensus.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.